

bus et privilegiis, legitima consuetudine aut sedis apostolicæ concessionem inductis; nunquam tamen ante constantiense concilium tanto animorum ardore atque cum tanto scindendæ unitatis catholicæ periculo hac de re sermo institutus disceptatusque est. Statim ab initio hoc concilium in quatuor nationes, anglicam nempe, germanicam, gallicam atque italicam divisum est, quibus postea hispanica quoque accessit; illoque ad finem perducto Martinus V, Pontifex electus, cum Anglis, Germanis et Gallis separatim propria inivit pacta, quæ hic primum *concordata* appellata sunt (1). Quantum verò in hisce controversiis tum aliorum, tum et Germanorum exacerbati fuerint animi, tempore basileensis præcipuè concilii manifestè apparuit. Quanquam enim electores in illa Eugenii cum concilii patribus controversia primum declarassent, se servente lite neutrius partes sectaturos fore (2); dein tamen in comitiis, Moguntia (26 Martii 1439) habitis, certum basileensium decretorum numerum solemniter receperunt, atque in alio conventu, Francofurti (21 Martii 1446) celebrato, ausi sunt statuere, se etiam contra imperatoris voluntatem concilio basileensi adhaeruros, nisi Eugenius recepta jam Moguntia decreta approbaret, quod et legatione Romam missa, Pontifici declararunt. At allaborantibus Friederico III, imperatore et Ænea Sylvio, qui ipsi a secretis erat, sese contentos fore promiserunt (8 octob. 1446), si Eugenius recepta decreta, saltem *sub conditione* probaret; quod cum ipsi nuntiatum per novos legatos fuisset, morti jam proximus (5 et 7 febr. 1447) quatuor edidit bullas, quibus eorum votis obsecundavit, dummodo pro juribus, quibus renuntiaret, legitima ipsi compensatio decerneretur, nihilque in toto negotio actum fuisset, quod veritati, Ecclesiæ aut apostolicæ sedi detrimentum inferre posset (3). Cum verò de modo, quo conditio, a Pontifice apposita, adimpleri possit, in proximis Aschaffenburgi (1447) et aliis sequenti anno Norinbergæ habendis comitiis disceptari decretum fuisset, interim imperator Vindobonæ cum Nicolai V legatis (17 Febr. 1448) pactum inivit, quod, ad verbum pene ex pactis constantiensibus desumptum, sedi romanæ plura eaque potiora jura servavit (4). Cæterum quoad hæc tantum capita citatis superiùs Eugenii bullis derogatum est. Non statim quidem illud pactum pro universo imperio legis vim obtinuerat, sed mox particularibus initis conventionibus obtinuit Pontifex ut in diocesisibus evulgaretur. Sic factum est ut progressu temporis tanquam germaniæ Ecclesiæ fundamentalis lex reciperetur.

L. Ludovicus IX Gallia rex, omnes sui regiminis partes æquali animi ardore complectens, de Ecclesia quoque et de clero sese quàm maximè sollicitum ostendit. Majoris momenti erant decreta (Etablissements), quæ de morum reformatione (1255) edidit, et *Sancto* sic dicta *pragmatica* (1268), in qua de beneficiorum collatione et de electionum libertate agebatur (5). Tempore concilii basi-

(1) Habentur hæc pacta in Mansi conc., t. XXVII, col. 1174-95. Pacto cum Gallis inito, nec rex, nec comitia vulgò parlamenta dicta, assensum præbuerunt.

(2) Habetur hæc declaratio in teatro imperii Mulleri (Müller Reichstag's Theater), sub Friderico III, t. I, p. 31. Alia, quæ de hac re edita sunt, monumenta habentur in sequentibus operibus (I. B. ab. Horix), concordata nationis germanicæ integra variis additamentis illustrata et Lips. 1771-73, III vol. O-C. G. Koch sanctio pragmatica Germanorum illustrata. Argent. 1783-3.

(3) Bullæ istæ, quæ vulgò concordata principum nominantur, primo excusæ sunt in annalibus Oderici Raynaldi.

(4) Vocabatur hoc pactum recessus aschaffenburgensis, quo loco initum per errorem credebatur.

(5) Apud Mansi, in conc. t. XXIII, col. 877-84; 1259-62.

leensis, commotis æque ac in Germania, in Gallia animis, Carolus VII allaboravit, ut viginti tria ipsius decreta in conventu biturigensi, anno 1438 habito, approbarentur illiusque conventus acta in regesta curiæ parium, seu parlamentorum, inscribi jussit. Hæc est percelebris illa Sanctio pragmatica, quæ, licet a Ludovico XII (1461), at a Sixto IV, Pontifice (1471) revocata fuerit (1), tamen in Gallia usque ad concilii V lateranensis tempora, obtinuit, in quo post diuturnas disceptationes, initis etiam Leonem X inter ac Franciscum I novis pactis seu concordatis, a. 1516 reprobata est (2).

In Anglia Joannes, vulgò *sine terra* dictus (1315), libertatem electionum cleri solemnino instrumento sancivit, atque Ecclesiæ jura et libertatem in litteris, eodem anno prælatis et regni proceribus concessis, quæ sub nomine *magnæ chartæ* celebres evaserunt, publicè agnovit. Aliæ quoque leges de mutua ecclesiasticorum et laicalium judiciorum relatione latæ sunt; cujusmodi erant plures Henrici III (a. 1272) et Eduardi I (a. 1307), constitutiones (3); articuli, regi Eduardo II (a. 1316), ab Angliæ prælatis traditi, necnon Eduardi IV, anno 1463 edita constitutio, seu charta de libertate clericorum (4).

Constitutiones, quas tempore Caroli I, ab anno 1308 usque ad annum 1411 gentilis apostolicæ sedis legatus pro Ecclesia et regno Hungariæ evulgavit, politicas maximè illius regionis res attingebant (5).

LI. In septentrionis regnis Ecclesia iisdem ferè institutionibus ac apud alias nationes regebatur, quæ sub regum tutela ac patrocinio majorem in dies firmitatem obtinuerunt. Incertum est an quædam ex consuetis canonum collectionibus ibi adhibita fuerit, proprii tamen Juris fontes mox in illis regnis ortum habuere.

In Dania (6) invenimus *Jus ecclesiasticum Sconia*, quod anno 1161 vel 1163 ab Archiepiscopo Escildo editum et a Wlademaro I rege confirmatum est; præterea *Jus ecclesiasticum Seelandia*, ab Archiepiscopo Absalone 1171 constitutum; constitutio itidem in concilio vejleensi, a. 1256 edita et a Pontifice confirmata; denique Petri Hansenii Archiepiscopi a. 1345 et 1349 evulgata decreta de jurisdictione clericorum et anno jubilei, pluresque alias constitutiones et synodorum decreta (7).

In Suecia tunc temporis ecclesiasticæ leges una cum civilibus in regni comitiis editæ sunt, cum sacrorum antistites potiora illorum conventuum membra essent; idèdque legitimè in diversis legum Sueciæ libris primum obtinent locum, quod vulgò *Kirkinbalker* inscribitur (8). In Norwegia, tunc proprium adhuc regnum,

(1) In c. 1, extr. comm. de tregua et pace (1, 9).

(2) Apud Harduinum in conc. t. IX, col. 2640-44, 1661, 1718, 1781, 1309-31, 1867-90.

(3) Antiquæ constitutiones regni Angliæ sub regibus Joanne, Henrico III et Eduardo I, circa jurisdictionem et potestatem ecclesiasticam, per Gol. Pyrne archivorum regionum custodem, Lond. 1672, fol.

(4) Habentur hæc apud Wilkins, in conc. Britan. t. II, p. 460, t. III, p. 583, articuli quoque exstant in Mansi, conc. t. XXIV, col. 561, Eduardi verò charta apud Harduinum, conc. t. IX, col. 1469.

(5) Mansi, conc. t. XXIV, col. 151-66.

(6) Antiquiores Ecclesiasticæ Daniæ leges habentur in Thurkelini collectione legum ecclesiasticarum Daniæ. Haunia 1781-4 (Sammlung der dänischen Kirchengesetze).

(7) Plura habentur in Kolderup-Rosenvingii compendio historiæ Juris Daniæ § 36, 87. (Grundriss der dänischen Rechtsgeschichte, uebersetzt non Homeyer. Berlin, 1828, 8).

(8) Apparet ex hujus ævi legum libris, qui in Dania editi sunt, et quidem sæculo XIII ex libris legum, nomine Lagsbook et Ostgoetha Laghen; deindè initio sæculi XIV libri; Uplandz Laghen (1296); Suedhermanna Laghen (1327); Vestmanna Helsinga et Danlelagh, et liber a.



Magnus rex a. 1270 vel 1280 jus ecclesiasticum edidit (1). Secundum itidem caput codicis legum, ab eodem rege (2) evulgati, inscriptum est: *Kristinndoms Bolker*, quod tamen præcipuè civiles continet leges.

In Islandia duæ apparuerunt Juris ecclesiastici collectiones; prima an. 1123, ab Episcopis Thorlak et Kertil adornata, et in publico conventu a summo magistratu et populi proceribus confirmata est (3); alteram verò Arna Episcopus evulgavit (4).

## ARTICULUS V.

JURIS CANONICI FONTIUM HISTORIA A CONCILII TRIDENTINO  
USQUE AD NOSTRA TEMPORA.

## ARGUMENTUM.

A. *Ecclesiæ status*, § LII. B. *Juris canonici conditio in Oriente, et quidem: 1. apud Græcos*, § LIII; 2. *apud Rhutenos, Valachos et cæteras Orientalis sectas*, § LIV. C. *Novi Juris canonici fontes apud Occidentis catholicos, et quidem: 1. conciliorum decreta et pontificum constitutiones*, § LV; 2. *fontes particulares in Germania*, § LVI; 3. *in aliis regionibus*, § LVII; 4. *juris fontes novissimi*, § LVIII. D. *Juris fontes apud protestantes: 1. libri symbolici*, § LIX; 2. *particulares fontes in diversis regionibus*, § LX. E. *Lucubrationes scientificæ: 1. opera quæ jus canonicum explicant*, § LXI; 2. *opera historica et alia*, § LXII.

## LII.

Lusitani et Hispani, inventis aut subactis novis terrarum regionibus, Christi fidem ad Indos, in Africam atque in Americam invexere, pluresque in illis locis ad illam firmandam episcopatus erecti sunt. Interim in Europa per magnam illam a vera fide defectionem quàm reformationem vulgò sed immeritò vocant, plures Germaniæ regiones, Helvetiæ maxima pars, Suecia, Anglia, Dania, Norwegia atque Hollandia ab Ecclesia catholica sese separaverunt novasque doctrinas sectantes, proprias quoque ecclesiastici regiminis formas sibi constituerunt. Catholicæ verò ipsius Ecclesiæ constitutio, licet sæpiùs impugnata ac turbata fuerit, nullam tamen quoad ea quæ interna ipsius instituta respiciunt mutationem exper-

1347 confectus, a. verò 1442 emendatus, qui vocatur Allmen Sweriks Laghok. Ultimus hic liber in latina, a. 1431 confecta versione, editus est sub titulo: *Leges Suecorum Gothorumque per doctorem Ragvaldum Ingemundi Ecclesiæ upsaliensis archidiaconi, a. 1431, latine primum donatæ Stokh., 1614, 4. De cæteris necessaria invenies notata a Grimm in Annalibus pro historica Juris scientia (Zeitschrift fuer geschichdiche Rechtswissenschaft), t. III, n. III.*

(1) In lingua danica habetur in Paus Samling af gamle Norske Love. Kioebenh 2751, 52, II. Th. 4 (id est. collectio legum Norwegiæ).

(2) Escusus est ille codex sub titulo: *Regis Magni legum reformatoris leges Gula-Thingenses, sive Jus canonicum norwegicum.* Haun. 1817, 4.

(3) Jus ecclesiasticum vetus, sive Thorlaco-Ketilianum constitutum a. ch. 1123. *Kristinnretr hinn gamli edr Thorlaks oc Ketils Biscups.* Ex msc. Legati Nagnæani cum versione latina, lectionibus variantibus, notis, collatione cum Jure canonico, Juribus ecclesiasticis exoticis indiceque vocom, ed. Grimus Joannes Thorkelin Isl. Hauniæ 3775, 8.

(4) Jus ecclesiasticum novum sive Arnacanam constitutum anno D. 1275. *Kristinnretr hinn ngi edr Arna Biskups.* Ex msc. Legati Nagnæani, etc. ed G. I. Thorkelin Isl. Hauniæ 1777, 8.

ta est. Seditio quidem in Gallia circa anteriores sæculi finem oborta, cum Ecclesiæ bona diriperentur, clerus ob denegatum schismaticum juramentum in exilium missus, inauditoque hucusque ac sacrilego scelere ipsa Christi religio proscripta fuerit, Ecclesiam catholicam in illis regionibus penitùs evertere minabatur; at ipse Gallorum imperator mox ecclesiastici regiminis ordinem restituere necessarium duxit, quem postea penitùs evertere ausus non est, quanquam et romanam ditionem cum suo imperio conjungere, et ipsum Pontificem in Galliam asportare, atque ecclesiasticæ disciplinæ mutationem in concilio nationali, Parisiis 1811 habito, tentare veritus non sit.

In Germania Ecclesia ex bello, quod imperium inter ac rempublicam gallicam exarsit, multa perpressa est. Bona enim ac principatus, quibus antea fruebatur, laicis principibus adjudicabantur; diocesium administratio, licet non omninò immutata, in multis tamen restricta et impedita est; cumque orientalis Rheni tractus cum regno Galliæ conjungeretur, moguntina metropolitana sedes Reginum consentiente Pontifice (4 Feb. 1805) translata est, ipsique Episcopi omnes ad dexteram Rheni siti, qui antea moguntino, salisburgensi, trevirensi et coloniensi Archiepiscopis suberant, subjecti sunt.

Devicto deinde imperatore (1814) omnia tum in pristinum statum restitui, tum novis institutionibus ordinari cœperunt. Pontifex in suam ditionem restitutus, ad ordinandas diversarum regionum ecclesiasticas res, cum principibus non solum catholicis, sed et cum heterodoxis, quibus catholici subijciebantur, conventiones et pacta solemnia iniit, per quæ Ecclesiæ catholicæ disciplina ordinata et jura stabilita sunt.

Novi protestantium cœtus, qui sæculo XVI orti sunt, cum omni unitatis principio renuntiarent, nunc non unum corpus, sed tot a se invicem independentes ecclesias efficiunt, quot nationes novatorum errores amplexæ sunt. Moscoviæ, anno 1589, novus erectus est patriarchatus, et omni sic cum patriarcha constantinopolitano subditionis vinculo disrupto, rhutena Ecclesia a græca penitùs separata est.

LIII. Ecclesia græca hodieum adhuc Photii collectionem una cum Balsamonis scholiis et Matthæi Blastaris syntagma adhibere solet, quorum utrumque vulgò Nomocanon, aut adhibita metaphora etc. quæ gubernaculum nominatur. Zonaræ quoque collectio et interpretatio receptæ sunt, auctoritatemque habent. Qui fontes simul cum aliis, in codicibus præcipuè manuscriptis conservatis, nostris temporibus allaborantibus patriarcha et synodo, collecti sunt (1). Continet hæc collectio lingua græca antiqua synodorum et SS. patrum canones omnes, qui ex tempore Photii et Zonaræ recepti sunt eosque eodem ordine digestos quo illos exhibet Zonaræ. Addita est præcipuorum virorum, qui ipsos commentati sunt, interpretatio in linguam vernaculam, qua Græci hodieum utuntur, translata. Compilatores præcipuè usi sunt Zonaræ et Balsamonis commentariis, rariùs Aristeni synopsi, frequentius verò anonymi cujusdam scholiis, quæ tamen nulla alia sunt, quam ea quæ idem Aristenus conscripserat. Itidem illorum quoque patrum canones ad hanc interpretationem adhibiti sunt, qui, licet a nullo œcumenico con-

(1) Accuratè hanc collectionem descripsit primus Kopitar in annalibus litterariis vindebonensibus (Jahrbuecher der Litteratur), vol. XXIII [1123], p. 220, 221 et vol. XXV (1824), p. 151-157. Vide Bienner de collect. canon. Eccl. græc., p. 39-43. Collectio Lipsiæ cura Theodoretii monachi montis Atho typis edita est.



cilio agniti fuerint, ab antiquis tamen jam temporibus magni aestimabantur (1). Ex juris civilis collectionibus ea tantum sumebantur, quæ cum canonibus concordabant. Deniquè plures appendices additi sunt, inter quas et formularia pro negotiis ecclesiasticis expediendis.

In hac proindè atque in aliis antiquioribus collectionibus, Jus canonicum continetur, quo hodieum Græci utuntur.

LIV. Jus ecclesiasticum Rhutenorum receptis Ecclesiæ græcæ collectionibus, synodorum nationalium decretis, necnon principum constitutionibus continetur. Istæ constitutiones et eæ præsertim, quæ de Episcoporum jurisdictione editæ fuerunt, in legum codicibus ab Ivano III Basili filio (Wassiljewitsch) 1498, sub nomine *Uloschenie*, et in alio ab Ivano IV Basili filio, 1550, sub nomine *Ssudebnik* editis, denuò confirmatæ sunt. Serius propria legum ecclesiasticarum collectio edita est (2), quæ sub imperatore Alexio, Michaelis filio (Machailowitsch), et patriarcha Jesepho typis excusa (3), et a Nicone itidem patriarcha ad regni ecclesias transmissa est (4). Inscrbitur hæc collectio *Kormezaia Kniga*, id est liber gubernatoris, cujusmodi nomen a sæculo XIV passim in canonum collectionibus invenitur.

Ad hanc collectionem adornandam editores codicibus qui Aristeni et Zonaræ commentaria exhibebant, uti sunt eamque, quatenus ad jus canonicum spectat, in LXX capita diviserunt, quorum XII primam partem efficiunt, canones apostolorum, concilia ac litteras canonicas complectentem, cætera secundam, in qua byzantinorum imperatorum leges, necnon diversæ Juris canonici lucubrationes inveniuntur. Præcedunt primam partem historicæ quædam Ecclesiæ rhutenæ et græcæ notitiæ atque Photii Nomocanon, in 14 titulos distributus, omissis ex imperatorum legibus excerptis, quæ in caput XLIV partis secundæ relata sunt. Ad calcem collectionis monitum ad lectorem de nomine et editione hujus libri, dein edictum et donatio Constantini ad Sylvestrum, et polemicus contra Latinos tractatus adjunguntur. Cæterum plurima hujus libri loca conviciis et calumniis in Latinos referta sunt. Hæc collectio hodieum non solum in ecclesiasticis, sed etiam in civilibus judiciis adhibetur; synodi verò non amplius celebrantur, ex quo a Petro Magno imperatore, a. 1721, patriarchatus moscoviensis extinctus, atque sancta, uti vocant, synodus tanquam perpetuus sub imperatore ad res ecclesiasticas dirimendas senatus instituta est. Ex hoc igitur tempore multæ constitutiones imperiales editæ sunt.

Eodem tempore, quo rhutena illa collectio edita fuit, in Valachia quoque canonum collectio, vernacula illius regionis lingua conscripta, typis evulgata est (5). Duabus partibus constat. Prima in 417 capita distributa versionem recentioris

(1) Præsertim uti sunt illis tractationibus, quæ vulgò post Blastaris syntagma in codicibus describebantur.

(2) Accuratè de hac collectione scripsere Kopitar in annalibus litterariis vindebonensibus (a. 1823), Wiener Jahrbuecher der Litteratur, tom. XXIII, p. 220-274 et tom. III (a. 1823), p. 283-290, et Bienerus in op. de collect. canon. Eccles. græc., p. 60-72.

(3) Excusa est Moscoviæ, a. 1649, 1660, et denuò annis 1787, 1804, 1816, fol.; in ultimis his editionibus quædam mutata sunt, uti in primo volumine notatur, Raskolnikorum quoque secta eam edidit Varsoviæ, 1786.

(4) Fertur jam priùs quamdam collectionem typis editam fuisse, uti notat Sthral in historia ecclesiastica rhutena, p. 8.

(5) Primus de hac collectione disseruit Kopitar in annalibus litterariis vindebonensibus, a. 1824, vol. XXV, p. 158-163.

cujusdam, nondum typis editi, græci nomocanonis (1) exhibet, secunda, nomocanon inscripta, apostolorum, conciliorum, Basili aliorumque patrum canones ex synopsi Aristeni una cum ejusdem scholiis complectitur.

LV. In Occidente ea, quæ de reformandis disciplinæ capitibus tum in superioribus conciliis tum a particularibus, uti diximus, nationibus agitata fuerunt, denuò in concilio, Tridenti a Paulo III a. 1545 congregato et a Pio IV a. 1563 confirmato, ad examen revocata sunt; atque ab hac sacrosancta synodo, malorum omnium quibus Ecclesia affligebatur, radicibus intimè perspectis, ejusmodi evulgata sunt decreta, ut in illis totius disciplinæ et morum reformationem contineri meritò dixeris. Hæc saluberrima decreta in diversis regionibus per concilia provincialia, a metropolitibus habita, executioni demandata sunt (2).

Novæ quoque in dies prodierunt summorum Pontificum constitutiones; nulla tamen edita publica auctoritate earum collectio est. Gregorius quidem XIII animum adjecit ad colligendas constitutiones summorum Pontificum, quæ post Sixtum IV, in lucem prodierunt, atque id negotii dedit viris doctis, qui *septimum decretalium* emitterent. Sed, eo mortuo, cum opus adhuc esset infectum, illud perficiendum curavit Sixtus V, quo etiam humanis rebus erepto, deniquè opus integrum absolutum, et typis excusum est Clemente XIII Pontifice, qui, cum cardinalis esset, ex numero illorum fuerat, qui ea in re suam operam studiumque posuerant. Sed, obortis eo in opere difficultatibus, visum est suppressere exemplaria, quæ nunc rarissima sunt, et gravi emenda pretio reperiri vix possunt.

Iisdem ferè temporibus Petrus Matthæus jurisconsultus lugdunensis edidit *septimum decretalium* a se privato studio exaratum; sed hoc opus publica auctoritate caret; multa in eo sunt vitia et plura etiam desiderantur.

Bullas sive extravagantes Pontificum constitutiones a S. Leone M. usque ad Sixtum V primus collegit Laertius Cherubinus Ict. romanus easque comprehendit uno volumine, quod bullarium appellevit. Auxit deinceps suum hunc librum constitutionibus Pauli V, ac tertiam quoque parabat bullarii editionem, qua etiam cæteræ constitutiones postea latae continerentur. Sed, cum re infecta ex vita excessisset, susceptum a patre opus absolvit Angelus Maria Cherubinus, qui Romæ edidit *Magnum Bullarium romanum* divisum in tomos quatuor, quibus complexus est omnes constitutiones, quas pater collegerat et quas omiserat, atque illas imprimis quæ post ejus obitum prodierant usque ad Innocentium X. Quatuor his libris quintum addiderunt Angelus a Lantusea, et Paulus a Roma, qui constitutiones collegerunt, quæ superiori tomo prætermisæ, quæque usque ad Clementem X editæ in lucem fuerant.

Sed cæteris palmam præripuit *bullarium magnum*, quod non multis ab hinc annis editum Romæ est ab Hieronymo Mainardo divisum in tomos 14, quodque omnes continet bullas summorum Pontificum a sancto Leone M. usque ad Clementem XII. Est etiam bullarium Benedicti XIV, quod ejus Pontificis constitutiones comprehendit, quodque in 4 tomos divisum est; et sunt item bullæ nondum uno libro comprehensæ Clementis XIII, Clementis XIV, Pii VI aliorumque posteriorum.

(1) Græcum primitivum exemplar, Bienero teste, Venetiis, in bibliotheca S. Marci asservatur.

(2) Quid ad reformandam Ecclesiæ disciplinam concilii tridentini decreta valeant, vel unus S. Carolus mediolanensis Archiepiscopus demonstravit, qui toto vitæ tempore in hoc solum incubuit, ut ejusdem concilii decreta in sua provincia ritè sanctèque observarentur. Vid. acta Ecclesiæ mediolanensis, S. Carolo cardinali condita. Patavii, 1754, II, vol. fol.



rum Pontificum. Neque defuerunt qui bullarum summam sive compendium conficerent, qua in re laborarunt Stephanus Quaranta et Flavius Cherubinus Laertii filius, et novissime Aloysius Guerra, a quo tomis quatuor comprehensa est: "Pontific. constitutionum in bull. M. et Rom. contentarum et aliundè desumtar. "epitome."

Regulæ cancellariæ originem repetunt ab Joanne XII, qui primus scripto mandari voluit has leges, ut iis apostolica cancellaria regeretur. Nam antea non scriptis regulis, sed consuetudine ac viva voce ejus negotia expediantur. Consequentes Pontifices, ac præsertim Nicolaus V varie auxerunt has regulas, easque perdixerunt ad eum statum in quo nunc sunt. Hodie cancellariæ regulæ numerantur LXXI, in quas, præter cæteros, commentarios scripsit omnium uberrimos atque accuratissimos et quatuor tomis comprehensos, Joannes Baptista Rigantius.

Hæ regulæ vim obtinent, quamdiu sospes est Pontifex, a quo editæ sunt, atque ut conualescant, probari et confirmari debent, quod paulò post creationem ab uno quoque Pontifice fieri solet. His verò derogatum in multis est per pacta conventa inter summos Pontifices et potentissimos Europæ principes; quæ pacta conventa, sive, ut vocant, *concordata*, nos suo loco indicabimus.

LVI. Magna illa, quam hoc tempore religio catholica in Germania passa est, defectio et funesta quam excitaverat omnium rerum perturbatio, causa fuere cur plures leges ferrentur, pluresque pacis inirentur conventiones, quibus dum novæ protestantium sectæ publica civitatis Jura tribuerentur, ecclesiæ catholicæ bona ac Jura erepta sunt. Hujusmodi sunt conventio Passaviæ an. 1552 catholicos inter ac protestantes inita, quam mox alia, vulgò *pax religiosa* dicta, 1555 subsequuta est, ac deniquè pax illa westphalica, quæ an. 1648 diuturno triginta annorum bello finem imposuit. Protestati quidem sunt Romani Pontifices contra omnia quæ in detrimentum Ecclesiæ catholicæ acta fuere, sed longè latèque jam diffuso malo, quàm ut alio medio illi mederi Ecclesia potuisset, nihil indè contrahentium partes sese desumere posse crediderunt, quod pactis abligandi vim demere queat.

Idem dicendum est tum de pace Lunævillæ inita, tum de recessu imperii a 1803 edito, contra quæ Pontifex in congressu vindebonensi protestatus est.

LVII. In Gallia plures editæ sunt civiles leges, quæ ad res ecclesiasticas pertinent, cujusmodi sunt illa quæ a. 1539 de jurisdictione ecclesiastica prodiit, et alia quæ occasione comitiarum Blessensium a. 1579 evulgata leges matrimoniales juxta concilii tridentini decreta disposuit. Serius, obortis variis Pontificem inter ac Ludovicum XIV querelis, ab Episcopis, aulæ nimis faventibus, famosa *cleri gallicani declaratio* de Pontificis potestate evulgata et edicto regio confirmata est; quàm tamen et Pontifex et plurimi cæterarum nationum Episcopi reprobant (1).

(1) Præter card. Orsium, Bianchium, cæterosque magni nominis theologos, qui hanc cleri gallicani declarationem solidè ac nervosè confutarunt, conferantur ea quæ de hac re scripsere card. Litta (in litteris gallice editis et in italicum sermonem translatis) et de Maistre in opere: *Sur les libertés gallicanes*.

Quoniam verò hodie non raro scriptores nonnulli ad hanc cleri gallicani declarationem provocare eamque cæteris ecclesiis tanquam normam proponere solent, sufficiat hic annectere, quæ de ipsa profert S. Pontifex Pius VI, in bulla "Auctorem fidei" qua damnat errores in synodo pistoriensi evulgatos, quæ ipsam declarationem in suum de fide decretum receperat.

Neque silentio, inquit Pontifex, prætereunda insignis ea fraudis plena synodi temeritas, quæ pridem improbatam ab apostolica sede conventus gallicani declarationem, a. 1682, ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed quo majorem illi auctoritatem conciliaret, eam in de-

Dein post gallicam seditionem concordatum, a. 1801 initum, res ecclesiasticas ad ordinem restituere cepit; novum verò, quod a capto Pontifice extorquere voluit imperator, infectum relictum est.

In Hispania rex Carolus V, cum Hadriano VI et Clemente VII, et seriùs, a. nempè 1753 Ferdinandus VI cum Benedicto XIV, de confederendis ecclesiasticis beneficiis pacta iniere; Carolo verò III regnante a. 1762, lex de Pontificiarum bullarum promulgatione, et a. 1772 transactio quædam super juribus nuntiaturæ, uti vocant, evulgata est.

Benedictus XIII regibus utriusque Siciliæ ampla privilegia confirmavit quæ *monarchia Sicilia* vulgò audiunt, et Benedictus XIV cum Carolo III 1741 concordatum iniiit.

Simile pactum idem Pontifex cum rege Sardinia a. 1742 confecit, quo litibus, quæ jam a sæculo XV de conferendis in Sabaudia beneficiis obortæ fuerant, finis impositus est. Dein verò, turbatis per gallicam seditionem Italiae rebus, pactum quod Pontifex cum Gallia inierat, ad eas quoque regiones extensum est, quæ cum imperio conjunctæ erant novumque pro Italica republica a. 1803 concordatum emissum est. Plura tamen quæ ad ecclesiasticam spectabant disciplinam, imperatoris et regis decretis disposita sunt.

LVIII. Nullum quidem in vindobonensi conventu decretum editum est, quo de lapsæ Ecclesiæ catholicæ res in omnibus Europæ partibus instaurarentur. At provida semper et solers romanorum Pontificum cura in hoc præsertim intendit ut, collatis cum singulis principibus conciliis, ecclesiasticarum rerum ordo et decus restitueretur. Primo quidem Pius VII cum Bavariæ rege, a. nempè 1817, pacta conventa absolvit, idemque Pontifex, collatis cum rege Borussiae conciliis, bulla quæ incipit: *De salute animarum*, die 16 Julii a. 1821 edita, catholicorum in illius regis ditionibus commorantium res ordinavit. Eodem anno, die nempè 16 Augusti, aliam emisit bullam, quæ incipit: *Provida solersque*, quæque catholicis, diversis Germaniæ principibus protestantibus subditis, provideret; quod deniquè Leo XII ejus successor, a. 1827, in bulla, quæ incipit: *Ad dominici gregis custodiam*, confecit. Idem Leo jam antea aliam pro regno Hannoveræ ediderat bullam a. 1824, quæ incipit: *Impensa romanorum Pontificum sollicitudo*. Plures etiam tum ante, tum post initum Germaniæ principum fœdus in diversis regnis leges evulgatæ sunt, quæ passim edicta religiosa dicuntur, quæque plura de Ecclesiæ cum republica præsertim nexu statuunt, a Juris canonici publici cupido indagatori minime negligenda. Anno 1817 cum Gallia pactum initum est, cujus tamen capita,

cretum *de fide* inscriptum insidiosè includere, articulos in illa contentos palam adoptare, et quæ sparsim per hoc ipsum decretum tradita sunt, horum articulorum publica, et solemnè professione obsignare. Quo sanè non solum gravior longè se nobis affert de synodo, quam prædecessoribus nostris fuerit de comitiis illis exostulandi ratio, sed et ipsimet gallicanæ Ecclesiæ non levis injuria irrogatur, quàm dignam synodus existimaverit, cujus auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est contaminatum decretum. Quamobrem quæ acta conventus gallicani, mox ut prodierunt, prædecessor noster, ven. Innocentius XI, per litteras in forma brevis, die 11 aprilis a. 1682, post autem expressius Alexander VIII, constit. *Inter multiplices*, die 4 Augusti a. 1680, pro apostolici sui muneris ratione improbarunt, resciderunt, nulla et irrita declararunt; multo fortius exigit a nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in synodo tot vitii affectam adoptionem, velut temerariam, scandalosam, ac præsertim post edita prædecessorum nostrorum decreta, huic apostolicæ sedi summopere injuriosam reprobare ac damnare, prout eam præsentem hac nostra constitutione reprobamus et damnatus, ac pro reprobata et damnata haberi volumus.



reclamantibus comitiis, vel uti vocant, cameris, non omnia exsequi licuit. In neapolitano ac Siciliae regno res ecclesiasticæ per concordatum, a. 1818, 16 Februarii editam, instauratæ sunt; in Sardinia verò, anno 1814 jam omnia ad eam formam redigebantur, quæ anno 1798, stabilita fuerant; nova tantummodo aliquarum diocesium circumscriptio a. 1817, 17 Julii instituta est.

Duabus aliis bullis anni 1817, 11 Martii, et 1818, 30 Junii, pro Polonia Ecclesiæ status compositus est. In Russia Ecclesiæ catholicæ jura ex decretis desumenda sunt, quæ annis 1769, 1772, 1773, 1782 et 1784 edita et a Pontificibus confirmata sunt. Pro Belgio anno 1827, 18 Junii, et pro pagis Helvetiorum, a. 1828, 29 Martii, concordata inita sunt. Novis verò Americæ rebuspublicis tum Leo XII, tum Gregorius XVI, quem Deus diù conservet, Episcopos dederunt.

Hiscæ pactis ac concordatis ea præsertim, quæ nexum sacram inter ac civilem potestatem respiciunt, determinata sunt; plura tamen adhuc ex consuetudine atque ex civilibus singulorum regnorum legibus desumi debent. Diversa quoque in diversis regionibus sunt jura, quibus Ecclesia catholica aliæque sectæ gaudent. Ex quo enim diversarum religionum asseclæ eorundem principum potestati subiecti, aliarumque nationum homines ob mercaturæ industriaque commodum libentiùs civitate donati sunt, a rerum publicarum studiosis ipsisque legislatoribus diligentius et accuratiùs ea quæ hominem, quæ civem, quæ Ecclesiam, aut quamcumque religionem attinent, ab invicem distingui cœperunt; at falsis modernæ politicæ et religiosi indifferentismi principiis magis magisque propagatis, plura sanè in illis quas fundamentales vocant legibus stabilita sunt, quæ cum veræ religionis catholicæ doctrina difficilè aut minimè componi possunt. Præcipua, quæ de hac re in diversis regnis stabilita sunt, breviter hic explicanda.

In Hispania, in Neapoli, in Sardinia, in temporali Pontificis ditone et in regno mexicano una tantum religio, catholica nempe, permessa omnisque alterius cultus exercitium vetitum est. Excipiuntur tamen principum legati; cæterique aliorum confessionum homines exteri, qui in illis regionibus domicilium capiunt, legibus proteguntur.

In Lusitania et Brasilia exteris domesticus et privatus, in Etruria et in regno Lombardo-Veneto liberior adhuc propriæ religionis cultus concessus est.

In Poliniæ regno, in civitate cracoviensi, in republica haitensi religio catholica tanquam religio status, uti dicunt, aut saltem tanquam maximæ civium partis religio declarata est; aliarum verò religionum asseclæ liberè ac publicè proprium cultum exercere possunt, omnibusque tum civitatis, tum publicis juribus fruuntur. Idem in regnis germanici fœderis statutum est, licet in fundamentalibus particularium regnorum legibus hoc tribus tantummodò receptis christianis confessionibus concessum, cæteris verò sectis domesticus cultus permissus, nullæque in illas civiles pœnæ decretæ sint. Particularia, quæ præsertim hernhuteris, menonitis, pietistas, separatistas, deistos et Hebræos attinent, ex propriis uniuscujusque regionis legibus dispicienda sunt.

In Austria et in aliis regnis cum ipsa conjunctis Græcis unitis jam sæculo XVII, protestantibus verò augustanæ et helveticæ confessionis Josephi secundi edicto a. 1781, liberum religionis exercitium omniumque civilium et publicorum jurium communicatio concessa sunt; aliæ verò sectæ non tolerantur. Ex Helvetiæ pagis, 12 catholicam, 6 reformatam, 6 alii diversas religiones profitentur.

In Russia exteris publicus ac liber religionis cultus decretis, a. 1702 et 1735 editis, permissus est, nec religionis causa a publicis muneribus excluduntur; nemo tamen ab Ecclesia orthodoxa seu rheneno-græca ad aliam transire potest.

In insulis Ionicis, religio orthodoxa græca dominatur; orthodoxa tamen religio, quàm Angli profitentur, liberrimo cultus exercitio gaudet, catholica protegitur, aliæ sectæ tolerantur.

In Suecia, quæ lutheranorum augustanam confessionem sectatur, primo a. 1741 reformatis, dein et aliis christianis confessionibus liberum religionis exercitium concessum est; soli verò Lutheri asseclæ publica munia obire, et ipsi et reformati tantummodò eligi possunt, ut in comitiis regni locum obtineant. Eadem ferè in Dania observantur. In Norwegia, evangelica lutherana religio publica status religio est; jesuitæ verò, ordines monastici et Hebræi non tolerantur.

In Anglia, ubi prius catholica religio innumeris legibus ac pœnis vexabatur, nostris temporibus, anno scil. 1829, edictum, uti vocant emancipationis, evulgatum est, quo libero cultu concessa catholicis aditus ad omnia publica munia, paucis tantum exceptis, conceditur.

In Belgio, in Gallia et in septentrionalis Americæ rebuspublicis omnibus omninò religiosi societatibus cultus publici exercitium omniumque jurium communicatio concessa sunt.

In Oriente deniquè christiani, ottomani imperii subditi, cujuscumque demum sectæ sint, licet continuis exponerentur vexationibus, liberè tamen proprium cultum exercere possunt.

LIX. Protestantes verbum Dei tanquam Juris ecclesiastici fontem agnoscunt; illud verò ex sacra tantummodò Scriptura hauriendum esse contendunt. Insuper libros quos vocant symbolicos, admittunt, qui tum pro lutheranis (1), tum pro reformatis (2), in collectiones redacti sunt.

Habent lutherani confessionem, quæ Augustæ anno 1530; Carlo V, imperatori oblata fuerat, ipsius apologiam a Melanchtone 1531 conscriptam; lutheri a. 1529 editos catechismos, articulos smalcaldicæ a. 1537, et formulam concordiæ anno 1577 editam.

Calvini asseclæ in Germania habent confessionem a civitatibus argentoratensi, constantiensi, memingensi, ac lindaviensi 1530 imperatori oblatam; catechismum Heidelbergensem (1563), ac Sigismundi brandeburgensis confessionem (1613). In Helvetia annis 1530, 1536, 1551, 1555, 1566, 1675, diversæ confessiones editæ sunt. In Hollandia, a. 1571 confessio, sic dicta belgica, ac decreta synodi dordrechtanæ evulgata sunt. Habent et Galli et Scoti proprias confessiones, quas 1559 et 1560 ediderunt; belgica verò confessionem, catechismum heidelbergensem et synodum dordrechtanam omnes ferè calvinistæ amplectuntur.

LX. Præter communes Juris protestantium fontes, quos mox annotavimus, plurima in diversis regnis de rebus ecclesiasticis statuta sunt. In Germania ea quæ illorum societates respiciunt, tum ex imperii et singulorum regnorum legibus (3),

(1) Germanico sermone editi sunt hi libri sub titulis: Concordia, Dresdæ 1580, fol. et J. W. Schœpff, symbolici Ecclesiæ evangelicæ lutheranæ libri. Dresdæ 1826, 2 vol. 8.º latinè verò: I. A. H. Titmann. libri symbolici Ecclesiæ evangelicæ ad fidem optim. exemplar, ed. II, Misn. 1827, 8, C. A. Hase libri symbolici Ecclesiæ evangelicæ, sive concordia, Lips. 1827, II, t. 8.

(2) Harmonia confessionum orthodoxarum et reformatarum ecclesiarum, Genevæ 1581, 4. Corpus et syntagma confessionum fidei, Genevæ 1612, 1654, 4. Corpus librorum symbolicorum, qui in Ecclesia reformatarum auctoritatem publicam obtinuerunt ed. I, Chr. G. Augusti Elbetf. 1827, 8.

(3) Collecta sunt istæ leges pro Borussia, in K. G. Haupt Sammlung der Kœnigl. Preuss. Gesetze das religions, geistliche, Kirchen und Unterrichtswesen betreffend. Quedlinb. 1822, 3.